

*Mitis sum et humilis corde.*

✠ Lécctio sancti Evangélii  
secúndum Matthæum

11, 25-30

In illo témpore, respóndens Iesus dixit:

<sup>25</sup> «**C**onfíteor tibi, Pater,  
Dómine cæli et terræ,  
quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus  
et revelásti ea párvulis.

<sup>26</sup> Ita, Pater,  
quóniam sic fuit plácitum ante te.

<sup>27</sup> Omnia mihi trádicta sunt a Patre meo;  
et nemo novit Fílium nisi Pater,  
neque Patrem quis novit  
nisi Fílius et cui volúerit Fílius reveláre.

<sup>28</sup> Veníte ad me,  
omnes, qui laborátis et oneráti estis,  
et ego refíciam vos.

<sup>29</sup> Tóllite iugum meum super vos  
et díscite a me,  
quia mitis sum et húmilis corde,  
et inveniétis réquiem animábus vestris.

<sup>30</sup> Iugum enim meum suáve  
et onus meum leve est».

Verbum Dómini.